

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput XXVIII. Quod quidquid anima desiderat in dei corde requirat.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

## CAPUT XXVIII.

QUOD QUIDQUID ANIMA DESIDERAT IN DEI CORDE REQUIRAT.

**R**OGATA orabat pro una persona Dominum, ut purum, humile, desiderans, amans et spirituale cor sibi donaret. Pro qua tale responsum audivit : « Omnia quæ vult et quibus indiget, in Corde meo requirat, et a me sibi dari postulet, more pueri qui a patre omnia quæ desiderat petit. Cum enim puritatem desiderat, ad meam recurrat innocentiam ; cum vult humilitatem, de meo eam accipiat. Desiderium etiam suum de meo suppleat, et amorem meum cum religiosa et tota divina conversatione mea sibi fidenter usurpet. »

Tunc illa : « Mi Domine, rogo ut in extremis ejus misericorditer cum illa agas, donans ei certitudinem tecum manendi. » Ad quod Dominus : « Quis sapiens thesaurum cum labore acquisitum et sibi dilectum projiceret et perderet ? Ego omnia humana ejus in mea humanitate sanctificavi, et omnia spiritualia ejus in meo spiritu in baptismo vivificavi. Ergo in his duobus mihi adhæreat, omnia humana sua, scilicet tentationes, et quælibet adversa, meis humanis unita mihi committat ; et spiritualia sua, scilicet spem, gaudium et amorem suum in me solum tendat : sic eam in æternum non derelinquam. »

Animam  
quasi  
thesaurum  
sibi Deus  
custodit.